



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 27. Arragoniæ Rex a Legato placatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A. C. 1427.

publicum edictum affigi jussit, quo Auditores, ceterosque caussarum Ecclesiasticarum Judices, quos secum Roma adduxerat, biduo post in publico confesso jus litigantibus dicturos pronunciabat. Alphonsus utpote auctoritatis suæ tenacissimus, hoc Cardinalis facto juribus suis derogatum iri arbitrabatur; hinc existimatae hujus usurpationis impatiens, insonantibus tubis edictum vulgavit, quo omnibus subditis suis sub gravissimis poenis prohibuit, ne coram quocunque Martini Pontificis Judice sive delegato sive subdelegato, nec coram ejusdem Legato ullam causam vel actionem moverent, vel eisdem quovis pacto morem gererent.

§. XXVII.

Arragoniæ Rex a Legato placatus.

Bzov. ib. Cardinalis errorem, quem tardius licet, agnoscebat, feliciter prudentia sua emendavit. Dissimulabat quippe nonnihil animi offensionem, ac primo Regis fervori cedebat, quo abs dubio oppressus fuisset, si se opponere voluisset. Hac moderatione Regis animum aliunde quavis submissione facile flectendum adeo prospere placavit, ut post repetita colloquia Alphonsus decerneret, Legatus pacis conditiones ultro citroque proponendas Romanam

mam deferret, eo autem redeunte con-
cordia firmaretur.

Sæcul. XV.

A. C. 1427.

§. XXVIII.

Regis ac Cardinalis Postulata.

Præprimis Legatus petiit: Rex det operam efficacem, ut Ægidius Munio & alii cum eo intrusi (Cardinales) ad gremium S. R. E. & ad Obedientiam S. S. D. N. Papæ Martini revertantur: si recusent, Rex eos in manibus seu potestate Papæ seu ejus Legati reponat. II. Omnia edicta Regis contra Papam, ejusque ac Sedis Apostolicæ Legatos solemniter revocentur. III. Permittat Sedis Apostolicæ collectores jura Cameræ Apostolicæ libere ac pacifice recipere. IV. Ecclesiam Romanam & omnes alias Ecclesias in terris suis earum privilegiis, aliisque juribus, libere uti, & gaudere permittat. V. Omnes & singulos Prælatos, aliasque Ecclesiasticas Personas de ejus mandato dignitatibus, seu bonis suis spoliatas, in eorum plena libertate ac possessione reducat. VI. A vexatione Regni Apuliæ omnino desistat, quod si forsitan jus aliquod in Regno prædicto prætendat, sanctitas sua parata sit per Personas neutri parti suspectas justitiam facere administrari. Cunctis hisce postulatis assensum præstitit Alphonsus, si modo quintum excipias, non enim, quos Regno expulset, revocare voluit, sextum quoque ambiguo

Marian.
l. 21. c. 1. &
2.